

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Marchionum Badensium & Hachbergensium - Cod. Karlsruhe 3293 II 10

Gamans, Johannes

St. Peter auf dem Schwarzwald, 1758

Cap. II.

[urn:nbn:de:bsz:31-267058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-267058)

Undenam ista invaluerit de Marchionibus ab Italia huc translatis opinio?

Digitum in ipsum fontem intendere videtur Irenicus, dum ait, hæc sub Marchionis Joannis Sigillo litera ferme continent. Fuit hic Joannes Marchio ex Jacobo Marchione, et Catharina Lotharinga genitus, Archiepiscopus et Elector Trevirensis circa an. 1450. primus, quod sciam, ex Marchionum Badensium familia Eulsiastico Statui dicatus, qui dum in adeunda Canonice possessione coram Capitulo Metropolitano progenitorum suorum in utroque sexu nomina et insignia si jam tum id moris fuit: edere vellet, ea occasione in alterius Domus sue Origines inquisivit. Comperit autem Patris sui Jacobi avum Rudolphum I. et unum alterumve ex Hermannis, qui Rudolphum proceperunt, dictos fuisse Marchiones Badenses et Veronenses, et ad oram Sigilli, quo utebantur, hos titulos inscriptos habuisse: Quamobrem suspicatus ipse est, antiquiorum Majorum suorum possessionem Veronam fuisse, et hæc de re literas fortassis ad quempiam dedit sub suo Sigillo, quæ aservata, ac tanto Principi rem plane perspectam esse debere creditum est, cum tamen ille in sæculum plane rûde et incivilem incidit, quo vix reperiebatur, qui de rebus superiorum sæculorum aliquid sciret, vel scire curaret; neque ars Typographica adhuc eorumque proceperat,

15.
ut Annales et Historias, aut Chronica Monachorum
doctivum studio conscripta e tenebris Bibliothecarum
in lucem publicam protraheret.

Ceterum Veronensi titulo quinam e Marchionibus
Badensibus, et quia ratione usi fuerint, suo loco videbi-
mus. Hic tantum aspero, forte rectius: aspergo, nec
primum nec secundum Hermannum sic appellatum, et hinc
ad Aphenum agentibus Veronam in Longobardia plane alios
Dominos habuisse. Non desunt illi Civitati nobilissima
et antiquissima familia. Etiam Historici, in his Torrellus
Saragna LL. Dr. vir eruditissimus et Civis Veronensis, de
Origine et amplitudine, de monumentis antiquis Urbis
et agri Veronensis, de viris illustribus antiquis, et de
his praesertim, qui politici fuerunt Dominis Civitatis, vo-
lumen egregium edidit; an. 1540. memorat, quomodo
post collapsum in Occidente Rom. Imperium Odoacer
Aerulorum Rex Veronam occupavit, et eo occiso Theo-
doricus, Gothus, eandem tenuerit; quomodo pulsus à
Belisario omni ferme Italia Gothis horum reliquiis
Hlodoaldum inter ipsos nobilem Verona comitantem
Regem creaverint, et Italiam recuperarint; quomodo
posthac Alboino Longobardo Regia Sides Verona fuerit,
Desiderio Carolus M. illam eripuerit, et Romana Ec-
clesia donavit; quomodo sub Ottonibus ad Rom. Imperium
redierit. Ex quo tempore nunquam sui juris fuisse,
aut proprium Principem habuisse legitur, nisi post
Fridericum Barbarosam a federatis Italiae Urbibus
quod fadus Veronense dicebatur: trans Alpes rejectus,

quando libera aliquantisper, non tamen diu, Eo-
 celini Tyranni jugum subiit; dein Mastini, Al-
 berti, Guilielmi Scaligerorum, denique Francisci
 Carrariensis, e cujus manibus eam Veneti extor-
 runt, et huc usque retinent. Varia igitur fuit
 hujus urbis fortuna multosque passa est Dominos:
 sed in horum numero nullum invenio Hermannum
 Marchionem, qui certe solus non reticeretur, si vel
 ad breve tempus: sicut aliqui ex supra recensitis:
 rerum illic potitus fuisset. Mea igitur fere senten-
 tia, Fridericum Caesarem Germanis Proceribus, qui
 in excindendo Mediolano, ceterisque bellis Italicis
 strenuam illi operam navarant, alios alias donasse
 urbes, et Hermannos ejus nominis III. Badensi
 urbem, agrumque Veronensem assignasse, est
 neque huic, neque aliis quietam obtigisse posses-
 sionem, certe non diuturnam: qui tamen titulis
 suis acceptionem fieri passus sunt, et ad filios trans-
 miserunt jus, ut vocant ad rem, hi ad nepotes,
 donec istis rei ipsius potiunda spe succisa sterilia
 nomina gerere pertosum est, ita Rudolphi I. fi-
 lius Hermannus VI. solo Badensio Marchionis ti-
 tulo omisso Veronensi contentus fuit.